EDUCATIO

FLEXIBULUS, GRYMPHAERANTES, GORGOPAS.

Flex. Quanam gratia misit te huc ad me pater tuus?

Grymph. Dixit, te esse hominem egregie institutum, sapienter educatum, eaque de caussa gratum huic civitati: cupere se, ut ego eisdem, quibus tu, vestigiis insistens, perveniam ad similem favorem populi.

Flex. Quomodo igitur te id assecuturum censes?

Grymph. Ingenua educatione, quali te omnes praedicant esse praeditum. Adiecit pater, eam educationem magis decere me, quam alium quemvis.

Flex. Cedo, fili mi, quomodo ea in re venis a patre imbutus?

Grymph. Non tam me pater praeceptis instruxit, quam patruus quidam meus, vir senex, versatus multum et diu *1 in regum comitatibus.

Flex. Quid ergo illi te docuerunt, mi fili et amice?

Gorg. Vide, vir prudentissime, ne fortasse per ignorantiam labaris in dictum aliquod, aut factum stultum vel rusticanum, unde amittas istud nomen optime educati.

Flex. Quid? Tam leviter ne apud vos perit?

Gorg. Vel unica vocula, unico flexu poplitis, unica inclinatione capitis.

Flex. Nimis est inter vos delicatum et infirmum; inter nos enim multo est robustius et firmius.

Gorg. Sic sunt nostra iudicia, ut nostra corpora, quae nullam ferunt offensionem.

*1 in regum comitatibus, *nelle corti dei Re.*

Flex. Immo, ut est videre, facilius ferunt corpora, quam animi.

Gorg. Fortasse tu non nosti hunc; ideo filium et amicum nominas.

Flex. An non sunt haec honesta nomina et plena benevolentiae?

Gorg. Benevolentiae credo, quam nos haud magni sane facimus, sed non reverentiae neque officii, quae nos anxie venamur; nam hic Dominus solet appellari, non amicus. An non animadvertis *1 Domini praefationem ante praenomen, et famulos *2 versicolores? Non annotasti in avi huius sollemnibus parentalibus tot cereos, tot insignia, tot homines *3 atratos?

Flex. Quid ergo? Affectas tu omnibus esse Dominus, nulli amicus?

Grymph. Ita docuerunt me propinqui mei.

Flex. Edat iam, mi Domine, tua excellentia praeclara illa tuorum consanguineorum documenta.

Gory. Videris tu mihi puerum hunc *4 naso suspendere: at non est quilibet; ne feceris.

Grymph. Primum esse me ex honestissima progenie, quae nulli cedat per universam hanc provinciam; idcirco curandum mihi diligenter atque adnitendum, ne degenerem a maiorum meorum virtute: illos parasse sibi magnum decus, nemini concedendo de loco, de dignitate, de auctoritate, de appellatione; me idem debere facere. Si quis quid velit de honore detrahere, pugnandum statim cum eo; de pecunia oportere esse largum, atque adeo profusum: in honore adstrictum et attentum; decere nihilominus me ac mei similes assurgere aliis, via cedere, *5 ducere,

*1 Domini praefationem, *il titolo di signore.*
*2 versicolores, *con le livree.*
*3 atratos, *vestiti a bruno.*
*4 naso suspendere, *burlare.*
*5 ducere, *accompagnare.*

*1 nudare caput, poplitem incurvare; non quod alius quispiam id mereatur a me sibi exhiberi, sed quod sic conciliabo mihi favorem hominum, captabo auram popularem, et parabo illum, quem tantopere gestamus semper in ore et in corde, honorem: in ea educatione situm esse discrimen nobilis et ignobilis; quod nobilis ad illa omnia dextere praestanda institutus est atque assuefactus; ignobilis agresti more nihil illorum doctus est facere.

Flex. Et excellentiae tuae, Domine, qualis videtur eiusmodi institutio?

Grymph. Qualis vero? Nisi multo optima et digna meo genere.

Flex. Quid ergo est aliud, quod a me requiras?

Grymph. Nihil plane restaret, mea sententia, nisi accessisset voluntas patris, qui iussit prorsum, seu verius imperavit rigide, ut ad te venirem; ut si quid in hac educatione nosses magis reconditum, et quasi misterium sacratius, quo maius mihi decus acquirerem, in gratiam sui ne gravareris exponere, quo familia nostra, alioqui honestissima et celsissima, altius ascenderet; quoniam sunt non pauci *2 novi homines, qui freti sua opulentia, nactique dignitatem et honores, per divitias emerserunt adeo, ut etiam audeant cum vetustate et decoribus gentis nostrae contendere.

Flex. Facinus nefandum!

Grymph. Nonne?

Flex. Vel coeco esset clarum.

Grymph. Itaque novi illi homines ambulant comitati longo asseclarum ordine, ipsi *3 segmentati in

*1 nudare caput, *scoprirsi il capo.*

*2 A Romanis *novi homines* dicebantur, quorum maiores neque consulatum, neque alium magistratum curulem essent adepti; ipsi autem rebus gestis atque honoribus clari, omnia incrementa sibi deberent. *Th. V.*

*3 segmentati in vestibus, *vestono abiti variati.*

vestibus vel *1 bombycini, *2 villosi, *3 intercisi, vel *4 texti Attalici; ut nos nihil esse prae illis videamur, qui *5 villato vestimur dissimulandae paupertatis gratia. Praemium autem huius tui laboris, si *6 operam hanc navaris patri, erit, recipi te in numerum nostrae familiae, et admitti ad illius gratiam et meam, ut procedente tempore aliquod a nobis accipias beneficium, sisque semper in nostra clientela et quasi tutela.

Flex. Quid potest dici amplius et optabilius? Sed cedo iam: si aperias caput, ac cedas via et loco, appelles blande, quam ob caussam eris gratus iis, quibuscum versabere?

Grymph. Ob eam ipsam caussam, quia haec ago.

Flex. Isthaec omnia, exteriora sunt solum signa, quae denotant, aliquid esse in animo tuo, propter quod diligare; nam ipsa per se nemo diligit.

Grymph. Quid ni diligant omnes, quae sunt honestae conversationis, in mea praesertim nobilitate?

Flex. Parum admodum es progressus, quod liceat inter nos dicere: et tu te pervenisse iam arbitraris ad summum.

Grymph. Nihil necesse habeo parare mihi litteras atque eruditionem: maiores mei reliquerunt mihi unde vivam; quod etiamsi desit, non istis est mihi artibus quaerendum tam ignobilibus, sed hastae cuspide et ense districto.

Flex. Animose istuc quidem et ferociter; quasi vero, quia es nobilis, non sis futurus homo.

Grymph. *7 Bona verba.

*1 bombycini, *di seta.*

*2 villosi, *di velluto.*

*3 intercisi, *picchiettati.*

*4 texti Attalici, *di preziosissimi tessuti.*

*5 villato, *accotonato.*

*6 si operam hanc navaris, *se farai questo favore.*

*7 Bona verba, *con le buone, adagio.*

Flex. Ecqua tandem parte tui es homo?

Grymph. Me toto.

Flex. An corpore, quo non differs a belluis?

Grymph. Minime.

Flex. Non ergo te toto: ratione igitur et mente.

Grymph. Quid ni?

Flex. Si hanc ergo sinis incultam et silvestrem, excolis autem corpus, et illi uni studes, an non transis ab humana in ferinam conditionem? Sed ad id, de quo coeperamus loqui; nam haec digressio, si vellem mihi indulgere, longissime nos a proposito abduceret. Verum cum tu cedis de via et nudas caput, qualem te esse alii existimant?

Grymph. Nobilem et generose informatum atque institutum.

Flex. Nimium durus es. Nihil ne domi audivisti de animo, de probitate, de modestia, de moderatione?

Grymph. In templo nonnunquam audivi de concionatoribus.

Flex. Cum illa abs te vident occurrentes fieri, iudicant, te esse adolescentem modestum, probum, bene de ipsis iudicantem, de te autem moderate, qua ex opinione nascitur benevolentia et favor.

Grymph. Explica id, quaeso.

Flex. Huc pertinet mea ratio. Si te homines existimarent adeo superbum, ut omnes contemneres prae te, nudare tamen caput et genuflectere, non quod ipsis is honor debeatur, sed quod te deceat; putas tu ullum fore, qui tibi haberet gratiam, aut te de honoris illa falsa simulatione diligeret?

Grymph. Quid ni?

Flex. Quia id tu tibi praestas et tua gratia facis, non illorum. Quis enim iudicabit se devictum tibi de eo, quod pro teipso feceris, non pro se? An ego honorem eum velut mihi impensum accipiam, quem tu tribuis opinioni de te, non meis meritis?

Grymph. Ita videtur.

Flex. Ergo paratur benevolentia, si illi credant, sibi honorem illum dari, non ut tu habearis comior ac nobilior. Istud vero non fiet, nisi eam de te induant opinionem, quod tu illos esse potiores ducas te, et dignos, quibus tu concedas.

Gorg. At non est ita tamen.

Flex. Quantumcumque hoc sit falsum, in eo tamen necesse est eos falli, alioquin nunquam consequeris, quod tantopere expetis.

Grymph. Quae igitur erit persuadendi via?

Flex. Facilis, modo animum sedulo advertas.

Grymph. Profer, quaeso; nam ea de caussa huc sum missus, et eris semper in nostra clientela.

Flex. Nimis crudum est hoc pomum.

Grymph. Quid tu mussas?

Flex. Dico, viam esse unicam, si sis talis, qualem te credi cupis.

Grymph. Qui istuc?

Flex. Si vis aliquid calefacere, affers ne fictum ignem?

Grymph. Non, sed verum.

Flex. Si scindere, an pictum in tela gladium?

Grymph. Non, sed ferreum.

Flex. Non est igitur eadem vis rerum verarum, quae fictarum.

Grymph. Apparet non esse.

Flex. Nec tu idem efficies simulata moderatione, quod vera: nam falsa ipsa se aliquando produnt: vera semper sunt eadem. In ficta moderatione aliquid aliquando dices, aut facies publice aut privatim, *1 cum tibi excides (neque enim semper te et ubique poteris observare) unde fictus deprehendaris; et quantum prius ignotus diligebare, tantum postea cognitus sis odio et longe plus.

*1 cum tibi excides, *quando te ne dimenticherai.*

Grymph. Quomodo ego *1 mihi ipse inducam germanam illam animi moderationem, quam tu praecipis?

Flex. Si persuaseris tibi, id quod res habet, alios esse meliores te.

Gorg. Meliores vero? Ubi tandem? In coelo credo, nam in terra pares sunt paucissimi, melior nemo.

Grymph. Sic audivi saepe de patre et patruo.

Flex. Multum adducit vos a cogitatione veri nominum ignorantia. Quid tu vocas bonum? ut sciamus, num sit aliquis te melior.

Grymph. Quid ego scio, quid sit bonum? Ex bonis esse progenitum.

Flex. Ignoras etiamnum, quid sit bonum; et iam tenes, quid sit melius? quomodo pervenisti ad comparativa, cum nondum positiva didiceris? Ipsos autem tuos progenitores quomodo scis fuisse bonos? Qua tu id nota cognoscis?

Grymph. Quid? Negas tu fuisse illos bonos?

Flex. Non novi illos; quomodo de illorum bonitate possum aliquid in alterutram partem statuere? Quaero modo, qua ratione *2 assequaris tu, fuisse illos bonos?

Grymph. Quia ita omnes praedicant. Sed quorsum, rogo te, pertinent tam molestae interrogationes?

Flex. Non sunt molestae, sed necessariae, ut accipias, quod ex me sciscitaris.

Grymph. *3 Confer, quaeso, te in pauca.

Flex. Multis esset id explicandum, cuius tam crassa ignorantia involveris; sed, quando ita es fastidiosus, dicam brevius, quam res tanta dici postulat. Defige iam oculos tuos in me, dum dissero. Qui sunt dicendi eruditi? an non ii, qui habent eruditionem? Qui opulenti? an non qui habent opes?

Grymph. Indubie.

*1 mihi inducam, *mi acquisterò.*
*2 assequaris tu, *arrivi a conoscere.*
*3 Confer, quaeso, te in pauca, *sbrigati in poche parole.*

Flex. Qui ergo boni? num non ii demum, qui habent bona?

Grymph. Ita plane.

Flex. Missas nunc divitias faciamus, quae non sunt vera bona: quae si essent, multi patre tuo inveniremur meliores: et negotiatores ac foeneratores praestarent bonitate viros bonos et sapientes.

Grymph. Sic videtur, ut dicis.

Flex. Expende ergo attente ac diligenter singula eorum, quae referam. An non est bonum, acutum ingenium, sagax, maturum iudicium, integrum, sanum, tum eruditio varia, et magnarum rerum atque utilium prudentia, exercitatio in rebus praestantibus, consilium, dexteritas in exsequendis negotiis? Quid tu de istis?

Grymph. Vel sola nomina videntur mihi pulchra profecto et magnifica; quanto magis res ipsae?

Flex. Age porro quid sapientia, quid religio, pietas in Deum, in patriam, parentes, necessarios, iustitia, temperantia, liberalitas, magnanimitas, contemtus casuum humanorum, et fortis animus in adversis? Quid vero ista?

Grymph. Praestantissima etiam haec.

Flex. Haec sola sunt hominis bona. Nam reliqua omnia, quae commemorari possunt, bonis et malis sunt communia, atque ea de caussa nec bona. Quaeso, manda sedulo memoriae.

Grymph. Faciam.

Flex. Pervelim; nam ingenium tuum non malum est, sed non bene excultum. Reputa igitur cum animo tuo, an tu haec habeas; et si habes, quam pauca, et ea quam tenuiter. Quod ubi examinaveris acute ac subtiliter, intelliges tum demum, te non magnis nec multis esse bonis ornatum ac instructum, nec esse in populo, qui pauciora habeat, quam tu. Nam in multitudine alii sunt senes, qui viderunt atque audierunt multa, habent experimenta rerum plurimarum:

alii studiosi, qui ingenium discendo exacuunt et expoliunt: alii capessunt rempublicam: alii libenter et diligenter versant scriptores profuturos: alii sunt seduli patresfamilias, alii alias artes profitentur et praestant: vel ipsi agricolae quam multa ex arcanis naturae tenent! Nautae vero cursum dierum et noctium, naturam ventorum, *1 positus terrarum et maris; alii ex multitudine sunt viri sacri et religiosi, qui Numen pie venerantur et colunt; alii res prosperas moderate rexerunt, et fortiter pertulerunt adversas. Quid horum tu nosti? Quid exerces? Quid praestas? Nihil omnino praeterquam illud: *Nemo est melior me, bono sum natus genere.* Qui potes esse melior, qui nondum es bonus? Nec pater tuus, nec avi tui aut proavi fuerunt boni, nisi haec habuerint, quae recensui: quae an habuerint, tu videris; ego multum dubito. Sed si habuerunt, tu certe non eris bonus, nisi illorum fias similis.

Grymph. Plane terruisti et pudefecisti me: non invenio quod *2 possim vel hiscere in contrarium.

Gorg. Nihil horum intellexi; tenebras mihi offudisti ante oculos.

Flex. Nimirum venis ad haec nimis durus, et longe diversis opinionibus infectus et mancipatus. Sed tu adolescens, quo te nunc tandem nomine censes appellandum? Dominum an mancipium?

Grymph. Mancipium: nam si ita est, ut disseruisti, et intelligo nihil esse verius, complures sunt servi multo potiores ac praestantiores me.

Flex. Haec ne leviter degustes, confer te domum, et solus tecum revolve, excute, perpende; quo magis versaveris, haec veriora et certiora esse intelliges.

Grymph. Obsecro te, adiice alia, si qua habes;

*1 positus terrarum, *la situazione*.

*2 possim vel hiscere in contrarium, *da poter formare parole in contrario*.

nam momento horae sentio me adeo immutatum, ut prorsum videar mihi iam esse alius.

Flex. Utinam contigerit tibi, quod Polemoni philosopho.

Grymph. Quid illi contigit?

Flex. Una Xenocratis oratione ex nequissimo et perditissimo factus est sapientiae ac virtutum omnium studiosissimus, evasitque magni nominis philosophus, et Xenocratis in academia successor. Sed tu, mi fili, ubi aperte cognoveris, quantum tibi ad bonitatem desit, quod aliis multis superest, vere et ex animo cedes aliis, et in eis honorabis bonitatem, qua vides illos ornatos, te autem carere. Iam et ex reputatione tui ipsius vilesces tibi ac sordebis adeo, ut nemini occurras tam abiecto contemtoque, quem non tibi anteponat conscientia tuae mentis. Non enim adduci poteris, ut credas, quemquam esse peiorem te, nisi quod illius malitia et nequitia protulit se foras, tua delitescit cautius.

Grymph. Quid tum sequetur?

Flex. Haec si feceris, veram ipsam, solidam et ingenuam educationem atque urbanitatem, seu, ut nunc loquimur, *1 aulicitatem assequere; eris gratus et carus omnibus. Sed id non iam magni facies, eris autem, quod unice tum tibi erit curae, gratus Deo immortali.

*1 aulicitatem, *cortigianeria*.

PRAECEPTA EDUCATIONIS

BUDAEUS, GRYMPHAERANTES.

Bud. Quaenam est isthaec tanta et tam subita mutatio? Inter Ovidii metamorphoses posset referri.

Grymph. In peius ne, an in melius?

Bud. In melius, mea sententia: siquidem ab exteriore cultu, gestu, verbis, actionibus, bonam mentem licet aestimare ac colligere.

Grymph. Est ergo, quod mihi possis gratulari, sodalis iucundissime.

Bud. Ego vero et gratulor tibi, et, ut pergas, exhortor, *1 magnaque in dies bonae istius frugis ut capias incrementa, Deum ac *2 Divos omnes comprecor. Sed amabo, ne invideas *3 familiari tam caro artem adeo praestantem ac praeclaram, quae brevi tempore tantum humano pectori probitatis instillet.

Grymph. Ars et fons rivi huius uberrimus est Flexibulus, si eum nosti.

Bud. Quis non norit virum, ut a patre et maioribus natu audivi, ingentis prudentiae atque usus rerum, huic civitati non notum modo, sed carum et in paucis venerabilem? Oh te felicem! qui illum propius audiveris, et sis cum eo familiariter versatus, unde tantum retuleris fructus ad rectam compositionem morum!

*1 magnaque in dies bonae istius frugis ut capias incrementa, *che tu vada sempre ogni giorno più avanzandoti in cotesto ben vivere.*

*2 Rectius scribes: *superos.*

*3 familiari tam caro, *ad un sì caro amico.*

Grymph. Quanto tu felicior, cui haec domi nascuntur, quod aiunt; et potes non semel aut iterum, ut ego, sed quotidie, quoties libuerit, talem patrem audire, maximis et utilissimis de rebus sapienter disserentem?

Bud. Omitte nunc ista: de te et Flexibulo procedat sermo institutus.

Grymph. Taceamus igitur de patre tuo, quando ita est tibi cordi: redeamus ad Flexibulum. Nihil viri illius sermone dulcius, nihil consiliis cordatius, nihil praeceptis gravius, prudentius, sanctius. Itaque gustu hoc, quem mihi ille de se praebuit, aucta et incensa est mihi mirum in modum sitis hauriendae ex tam dulci fonte sapientiae. Narrant, qui orbem terrarum describunt, fontes esse admirabilis *1 ingenii ac naturae; alios inebriare, alios ebrietatem tollere, alios stuporem immittere, alios somnum; fontem hunc hanc ego vim habere expertus sum, ut ex bruto efficiat hominem, ex perdito et nequam frugiferum, ex homine angelum.

Bud. Possem ne et ego ex eodem fonte aliquid vel extremis labris delibare?

Grimph. Quid ni possis? Domum tibi, ubi habitet, commonstrabo.

Bud. Isthuc quidem alias: tu vero inter deambulandum (aut assideamus si lubet) aliquot mihi refer ex illius praeceptionibus, quas optimas esse et potissimas censeas.

Grimph. Equidem recensebo lubens, cum ut tibi gratificer et prosim, si queam, tum ad meam recordationem. Primum omnium docuit me, debere unumquemque non magnifice de se sentire, sed moderate, seu verius demisse; hoc esse optimae educationis ac verae comitatis solidum fundamentum ac proprium. Hinc navare operam, ut animum excolat atque exor-

*1 ingenii, *proprietà.*

net cognitione rerum, scientia et exercitamentis virtutum: alioquin hominem non hominem esse, sed pecus. Rebus sacris interesse cum maxima attentione et reverentia: quicquid illic audias seu videas, existimare magnum, admirabile, divinum, et quod captum tuum exsuperet. Crebro te Christo commendare precibus, in illo spem et fiduciam tuam omnem collocandam. Parentibus obsequentem te praebere, inservire illis, ministrare, et quaecumque valeas commodare, prodesse, adiuvare. Magistrum colere ac diligere, tanquam parentem, non corporis, sed (quod amplius est) mentis. Sacerdotes Domini revereri, illorumque doctrinae *1 audientem se exhibere, qui referunt nobis personam Apostolorum, atque adeo Domini ipsius. Senibus assurgendum, caput nudandum, attente illis auscultandum, a quibus *2 ob diutinum usum rerum collecta sit prudentia. Magistratus honorare, illisque aliquod imperantibus dicto esse audientem, quibus cura nostri a Deo est commissa. Viros magni ingenii, magnae eruditionis, probos suspicere, admirari, colere, bene illis cupere, et amicitiam illorum ac familiaritatem expetere, ex qua magni fructus reportentur, et is potissimum, ut similes eorum evadamus. Denique iis, qui sunt in dignitate, deberi reverentiam; idcirco impendendam esse liberaliter ac libenter. Quid tu de hisce praeceptis dicis?

Bud. Mea quidem sententia deprompta esse ex divite quodam prudentiae promtuario. Sed dic mihi, an non sunt multi ad dignitatem evecti homines indignissimi, velut sacerdotes non respondentes tanto titulo, et magistratus pravi, et senes stulti ac deliri? Quid, quaeso, de his sentiebat Flexibulus? An eodem esse honore prosequendos, quo potiores?

*1 audientem, *obbediente.*

*2 ob diutinum usum rerum collecta sit prudentia, *colla lunga esperienza hanno acquistato la prudenza.*

Grymph. Non ignorabat Flexibulus, esse tales non paucos; sed non concedebat aetati nostrae, ut nos inter eiusmodi et alios poneremus discrimen: nondum tantum esse nactos nos vel ingenii vel prudentiae, ut id possimus diiudicare; eam censuram et sapientibus esse viris relinquendam, et iis, quibus illorum est regimen commissum.

Bud. Recte hoc quidem, ut videtur.

Grymph. Addebat, non debere adolescentem in nudando capite lentum esse, non in flectendo genu, non in unoquoque honorifice appellando, non in comi sermone ac moderato. Non decere multum loqui apud maiores natu aut superiores: id enim alienum esse a reverentia illis debita; sed tacitum illos auscultare et ab eis haurire prudentiam, cognitionem rerum variarum, rectam atque expeditam loquendi rationem. Brevissima est ad scientiam via, audiendi diligentia. Prudentis et ingeniosi esse de rebus iudicare; uniuscuiusque de eo, quod probe novit; ideoque negabat, ferendum esse adolescentem ad pronunciandum ac definiendum proclivem: debere illum in statuendo aut iudicando de re quantumcumque levi ac exigua esse cunctabundum, seu potius timidum, conscium videlicet suae ignorantiae. Quod si in iudicio de re qualibet par est adolescentem esse talem, quid fiet de litteris, de disciplinis, de legibus patriis, de ritibus, de moribus atque institutis maiorum? De quibus non solum sententiam ferre iuvenem, sed nec disputare aut vocare in quaestionem sinebat Flexibulus: non cavillari, non rationem reposcere, sed tacite ac modeste obtemperare: quod dictum Platonis auctoritate fulciebat magni in sapientia viri.

Bud. Quid, si sunt leges, aut mores pravi, iniqui, tyrannici?

Grymph. Idem et de hoc Flexibulus disserebat, quod de senibus. Non ignoro equidem, aiebat ille, multos esse receptos in civitatem mores parum pro-

babiles, sanctas esse leges, aliquas iniquas; sed tu imperitus, inexpertus rerum vitae, quomodo id censebis? Nondum eo pervenisti eruditione et usu rerum, ut de eo possis statuere. Fortasse, quae tua est ignorantia vel animi libido, improbas esse leges iudicabis, quae sint rectissimae et magno consilio statutae; rursus vero optimas, quas iustum esset abrogare. Sine illos de iis inquirere, disputare, definire, qui causam queunt de singulis probabilem reddere; tu id non posses.

Bud. Ita est plane. Perge ad alia.

Grymph. Nullum esse decentius aut gratiosius adolescenti ornamentum, quam verecundiam. Nihil impudentia tetrius aut invisius. Magnum esse aetati nostrae ab ea periculum: ab ea nos ad turpes actiones corripi, quarum paullo post gravissime poeniteat. Multum itaque esse cum illa luctandum, quoad omnino prosternatur, ne nos ipsa prosternat. Otiosus homo, saxum: male occupatus, bellua: bene occupatus, vere homo. Homines nihil agendo, male agere discunt. Cibum et potum metiendum naturali desiderio famis aut sitis, non gulositate aut prava libidine infarciendi corporis. Quid potest dici tetrius, quam hominem ea ingerere in suum corpus, edendo et bibendo, quae exuant illum humana conditione, transferant in belluinam, aut etiam in stipitem? Compositio oris et cuncti corporis, *1 quemadmodum animus sit intus habitus, loquitur. Sed ex universa exteriore facie nullum animi speculum aiebat esse certius, quam oculos; ideoque convenire illos esse sedatos et quietos, non elatos nec deiectos, non mobiles, sed nec *2 rigentes: faciem ipsam non in torvitatem nec ferociam compositam, sed ad hilaritatem atque affabilitatem. Sordes et obscoenitates abesse decet a vestitu, victu,

*1 quemadmodum animus sit intus habitus, *quale sia dentro l'animo.*
*2 rigentes, *fissi.*

convictu, sermone. Sermonem nostrum nec arrogantem ac pavidum, nec vicissim abiectum et effoeminatum volebat esse: simplicem autem et minime captiosum, non detortum ad pravas interpretationes. Nam id si fiat, nihil erit tutum loqui: et *1 frangitur generosa loquendi *2 indoles stultis ac ineptis cavillis. Manus, cum verba facimus, non iactandas, non caput quatiendum, non *3 crispandum latus, non vultum corrugandum et distorquendum, non pedes agitandos. Mendacio nihil dicebat esse tetrius, nec aliud aeque abominabatur. Intemperantia facit nos belluas, mendacium diabolos, veritas semideos: a Deo natam esse veritatem, a diabolo mendacium: nec est aliud ad vitae communionem perinde damnosum. Multo iustius debere ab hominum consortio pelli mendacem, quam qui est furatus, aut qui aliquem pulsavit, aut qui adulteravit nummum; quae enim esse potest vel rerum vel negotiorum contractio, vel consociatio sermonum cum eo, qui aliquid loquitur, aliud sentit? cum reliquis vitiorum generibus esse potest aliqua, cum hoc nulla. De sodalibus et amicitiis adolescentum multum ille loquebatur et accurate, non exiguum id esse momentum ad probitatem aut flagitia nostrae aetatis: transire ad nos amicorum nostrorum et sodalium mores, tanquam contagia; et tales nos fere fieri, quales ii sunt, quibuscum versemur; idcirco ea in re magnam esse diligentiam atque operam navandam. Nec permittebat nobis, ut ipsi amicitias et familiaritates deligeremus, sed ut a parentibus aut magistris aut educatoribus nostris delectas et traditas acciperemus et coleremus. Illos ratione duci in eligendo; nos autem rapi prava animi aliqua cupiditate vel libidine. Quod si quo casu in

*1 frangitur, *si guasta.*
*2 indoles, *il naturale.*
*3 non crispandum latus, *non doversi piegare il fianco.*

necessitudines incideremus inutiles aut noxias, a superiore auctoritate admonitos, abiicere illas quamprimum oportere. Dicebat ille quidem cum alia permulta, magna sane atque admirabilia, tum haec ipsa diffusius et exactius. Sed haec erat propemodum de recta adolescentiae educatione summa.

INDEX.

Surrectio matutina . . . . . pag. 7
Prima salutatio . . . . . » 11
Deductio ad ludum . . . . . » 13
Euntes ad ludum litterarium . . . . . » 14
Lectio . . . . . » 20
Reditus domum, et lusus pueriles . . . . . » 22
Refectio scholastica . . . . . » 25
Garrientes . . . . . » 36
Iter et equus . . . . . » 48
Scriptio . . . . . » 56
Vestitus et deambulatio matutina . . . . . » 68
Domus . . . . . » 79
Schola . . . . . » 85
Cubiculum et lucubratio . . . . . » 91
Culina . . . . . » 97
Triclinium . . . . . » 103
Convivium . . . . . » 108
Ebrietas . . . . . » 122